




TV, 101 .

2,15.

9.
EPITHALAMIA,
NUPTIIS

26

Viri Nobilissimi, Excellentissimi, Clarissimiq₃
DN.

SAMUELIS BENEDICTI
CARPZOVII,

Poëseos in Academia Wittebergenfi Pro-
fessoris Publici celeberrimi,

cum

Virgine Lectissima Pudicissimaq₃

ANNA MARIA,

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimiq₃
DN.

JOHANNIS ERICI OSTERMANNI,

Serenissimi Potentissimiq_{ue} Saxonæ Electoris Consiliarii
Splendidissimi, Professoris in Academia Wittebergenfi cele-
berrimi, Senioris ibidem gravissimi & Electoralium
Alumnorum Ephori vigilantissimi

FILIA UNICA,

Wittebergæ d. 3. Martii A.O. R. MDCCLXXIV.

celebratis,

EX ACADEMIA LIPSIENSI

scripta

a

FAUTORIBUS & AMICIS.

LIPSIAE

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.



ARPZOVIVS Sponfus, Sponfa OSTERMANNIA
 Auspicio fubeunt candidiore thorum. (virgo
 Vota Sion, dat metra Helicon, pia Leucoris addit
 Jungit huic focias Almaqve noſtra preces.
 Quid non conjugio nos expectemus ab iſto?
 Qvod jubet ipſe Deus cœlitus eſſe ratum.

Itâ ὁλοψύχως

Excellentiſſimo Dno. Sponſo, Amico honora-
 tiſſimo, gratulatur Lipſiæ

JOH. AD. Scherzer / SS. Th. D. & Prof.
 Primarius, ingenui Præſulatus Miſn. Canonicus
 & Theſaurarius, Conſiſtor. El. & Ducal. Saxon.
 Adfeſſor.

COElitûs eſt benediſta ſemel ſtirps tota *Beati*
 CARPZOVII, hæc eadem ſtirps benediſta manet.
 Stirps manet, & ſuper hanc cœli benediſtio, teſtis
 Dresda mihi præſto eſt, Leucoris & Philure.
 Qvis veſtras igitur tædas non dixerit eſſe
 Acceptas, SAMUEL mi BENEDICTE, Deo?
 Unanime eſt votum, clamant FELICITER! omnes,
Sic benediſtus hymen! ſit benediſta Domus!

Lipſiæ gratul. f.

GEORGIUS Lehmann / D. PP. & Superint.

Ad Dn. SPONSUM:

A domino, SAMUEL vox denotat, exoratum:
à domino exorata datur tandem tibi Sponſa:
 Es BENEDICTUS, erit Benediſta piſſima Conjux.
 Opto ut mox Gnatos-καὲπὲς CARPZOVIVS edat!

Sic ad Nomen

NOMINIS CARPZOVIANI

alluſit cultor

FRIDR. Weiſſler / Sileſius, Phil. & J. U. D.
 ac PP. Maj. Princ. Coll. Collegiatus.

Nafſo

A
ro
F.
s
.
-
Naso tibi excussus, CARPZOVI, Doctor Amorum,
Et Veneris quicquid prisca Poësis habet;
Fallor? an Idalios animo indidit ille furores
Teque sibi, ut versu, reddidit igne parem?
Ureris, & dulces ludis cum Virgine lusus,
Quam genitam Phœbo dat Witeberga suo.
At tibi Dia Charis, Paphii non carmina Vatis,
Injecit castas, Caste Poëta, faces.
Et bene. Lascivos vexat fors dura Poëtas,
CARPZOVIUM castum Gratia summa beat.

JOH. ITTIGIUS, Phil. & Med. D. Phys. P.P.

Ad Lipsiensem Venerem.

Pone Cupidineas tandem Cytherea sagittas,
Plisiadum curam quæ studiosa geris.
Dudum Lipsiacæ squalent vestigia flammæ,
Leucoreum vulnus, quem Tibi quæris, habet.
Nec Pylades Noster thalamis lecturus amorem
Committet fucò fœdera sancta Tuo:
Nobile virtutis miratur nomen & ambit:
His quæ dotatur dotibus, illa placet.
Sidere sed tali micat OSTERMANNIA proles,
Albiadum Pindus quam venerandus habet.
Ergo victorem subito inspiravit amorem,
Qui tacitum cæco pectore vulnus alit.
Sed quid flammifero TE jam complexa nitore,
SPONSE, micat: flammis carpitur ecce, Tuis.
Dulcia cur ergò cunctaris vota? jugalis
Hesperus invitat, svave reponere jubar.
Labris svaviloqvis animos conjungite dulces,
Sic ridebit Amor: sic Venus alma jubet.

Faustis Nuptiis

*Professoris Poëta cultissimi, studiis olim Academi-
cis amicitiaq, integerrimâ semper conjun-
ctissimi atq, honoratissimi f.*

M. JOHANNES CYPRIANUS, Facult. Philos.
Assessor & hodie Decanus in Academiâ Lipsiensi.

Currere consuetum rediit semel annus in orbem,
 Inq̄ve animum revocant tempora grata faces,
 Lipsiacæ tum qvas accendit ab igne puellæ
 Leucoreæ GRENIVS gloria magna Scholæ.
 Cur Tibi non animo similis sententia sedit,
 CARPZOVII? Tibi cur non Philuræa placet,
 Ob dulcem patriam propius tibi juncta puella,
 Et quam præ pulchrâ Gnosside Bacchus amet?
 Scilicet arcta vices adamat vicinia gratas,
 Alternatq̄ve locis, qvi fugitivus, Amor.
 Attrahit ergo alias, modo reddit Nostra puellas,
 Jamq̄ve iterum retinet Lipsia sæpè suas.
 Tædis ergo tuis jam nec succenset, & istas
 Exultans studio ventilat ipsa pari.
 Hinc plausus & vota facit: quibus addere nostrum
 Ipsa jubet Pietas officiosa Tibi:
 Ignoret posthac, ullas neq̄ve sentiat unquam
 Vester amor constans perpetuusq̄ve vices.

Gratulabundus misit Lipsiâ

THOMAS STEGER, SS. Theol. Lic.
 Eccles. Lips. Min.

Leucois, adde preces votis! Carpzovius ardet,
 Isteq̄ve Te simili prole beabit Amor.
 Nunquam rara suo miscentur cinnama nardo,
 Svavia quin repleat tecta relictus odor.
 Et melius gravidis junguntur vitibus ulmi,
 Nam citius frondes explicat ipsa suas.
 Fausta, precor, sancto sedeat Concordia Lecto,
 Tamq̄ve sacro semper sit genus alma iugo.
 Cum nubit nova nupta suo, lætare, marito,
 Leucois, ipsa Tibi nubere fausta solet.

Amicorum Optimo

ὁλοφρενόςθεν gratulatur Lipsiæ

SIMON Cöfler / SS. Theol. Lic. & ad D.
 Nicolai Ecclesiastes.

LIPSIA

LIPSIA ad VVITEBERGAM.

DOctores, *VViteberga*, Tui: *Calovius*, olim,
 Lutherus calamô, voce animoque Tuus;
Greenius ast nuper, *Sophiæ* Celeberrimus Histor,
 Auspice Me Cajas obtinuere Suas.
 Redde vicem, Dilecta Soror, præstaqve Duobus,
 Qvos genui, officium pronuba Mater idem.
 Roma Sabinarum blandô sic fœdere raptum
 Corrigit: ast raptus gratior ille Tuus.
 Namqve Meus, pridem, sed jam Tua Gloria, Natus
Zieglerus subiit, Te præeunte, Torum.
 Qvàm benè! sed frustra qvæsitus sæpius Alter,
Carpzovius donec cernitur ire comes:
 Vates *Carpzovius* cui quidlibet æqua potestas
 Audendi: Is porro reddat Utramqve parem!
 Nos Avias faciat titulis & juribus æqvis!
 Mater ego Nato quid precer ipsa magis?

Interprete Sponsi Amicissimo

L. VAL. ALBERTI, P.P.

Χαίρεις, ὦ Νύμφη, χαίρεις πολυώνυμε Γαμβρέ.
 Αἰνὸς τις λέγεται τὴν κτ' σαυτὸν ἔλα.
 Τὴν κτ' σαυτὸν ἔλας, Χαρίτων ἅπο κάλλ' ἔχουσιν,
 Νυμφίε, Κερδίνην εἰς ὑμέναιον ἄγων.
 Καὶ σὺ Φιλῶσα πόσιν, Μισῶν ἅπο τέννομ' ἔχοντα,
 Νύμφη, Καρποφόρον, τὸν κτ' σαυτὸν ἔλας.
 Τένδε γάμον ποδῶν δόση Θεὸς ἴσον ἔρασθαι.
 Διερὲν εὐζῶειν, γήρα' ἔδδόν ἵκειν.

Gratulab. affectu Scribeb.

PARIS NOBILISSIMI
 observantissimus

L. JO. OLEARIUS, P.P.

A 3

Haete.

HActenus à Nostris expectabare puellis,
CARPZOVI, *cordis portio magna mei:*
Lipſia quem genuit, poterat feciſſe maritum,
Et cupidè civem Te revocare ſuum.
Sed non ſolus *Elyſter* habet, quod poſſit amari,
Egregias Nymphas & pater *Albis* alit.
Harum quæ formâ pulcherrima, Virgo pudica
OSTERMANN, TIBI, Dulcis amice, placet.
Per placet illa TIBI, & nullo contactus ab igne
Ex hujus flammis incaluiſſe cupis.
Gratulor atq; precor Veſtris bona plurima tadis,
*Quæ ſuperent numero, quas veſcit *Albis*, aquas.*

F.

CHRISTIAN-FRIDERICUS Franckenſtein/
P. P.

Ad Excellentissimum Sponſum.

INclyta Carpzovios dum jactat Lipſia Fratres,
Invidet hoc ſoli Leucoris Alma decus.
Ac te, *Carpzovia* non ultima gloria Stirpis,
Pertrahit ad Pindi culmina clara ſui.
Et, patet hîc etiam campus virtutibus, inquit,
Ac ſtadium ſtudiis nobile, crede, tuis.
Agnoscit patriam Tecum *Zieglerus* eandem,
Poſthabuit Philyren ſed tamen Ille mihi.
Jamque meus planè eſt meus ille graviffimus Atlas,
Qui gemini juris fulcit utrumque polum.
An neſcis famam notam ſuper aſtra *Calov*,
Quo meliùs Domini prælia nemo gerit?

Qvi

Qui licèt in scriptis, quæ plurima vulgat in orbem,
Egregiis Tecum possit ubique loqui:
Te propiora Viri tamen hîc commercia tanti
Et consuetudo quottidiana manet.
Sic ait, & blandis venientem amplexibus urget,
Moxque Professores inter habere locum,
Et Vatem jubet esse suum. Quo munere fungens
Dum promissis, Latium quas dat & Hellas opes;
Dum doctrinarum publi genus omne recludis
Svave Tibi svadâ conciliante decus:
Expleri mentem nequit Illa, magisque subinde
Atque magis magnô flagrat amore Tui.
Inque sinu gaudens, Hic damna resarciet olim,
Quæ mihi *Buchneri* mors, ait, atra tulit.
Jamque adeò thalami per vincula sacra jugalis
Arctius astringit Te VViteberga sibi,
Quippe sibi metuens, ne Te tua Lipsia quondam
Et dulcis patriæ fortè reposcat amor.
Et certè quondam, nisi me præsagia fallunt,
Huc patriæ dulcis Te revocabit amor.
Interea quocunque loco, *Benedicte*, locârint
Fata Tibi sedem, sis benedictus! Eris:

Omen ac votum.

M. THOMÆ ITTIGII, Lipsiensis
ad D. Johannis in suburbiô patriæ Pa-
storis.

Pangi-

30.
PAngite *Leucorides Musa*, nova carmina, *Vati*
Vestro : digna novô sunt nova vota, *torô*.
At *Vos felices*, & *Tu Neonymphe*, *Tuumq;*
Corculum, & ætatem degite flore pari!

Sponso Nobiliss. & Excellentissimo
Dno. Fautori & Amico suo sincero, multisqve
nominibus Honorando, *auspicatissimas nu-*
prias precatus *Lipsiæ* scib.

M. A. Rechenberg/ SS.Theol. B.
& Fac. Phil. Afs.

Ita ad Excellentissimum Dominum Professore
Neonymphum.

הוּ אָבִי לִפְנֵי אָבִיךָ
זָכַר הַצְדִּיק לְבָרְכָהּ
הוּ אָנִי צֶם לִפְנֵי אָחִיךָ
מִצֵּנָה הָאִישׁ תָּם בְּמִלְאָכָה
עֲדָה לְמַצָּה הוּ בַּעֲיֹנִיךָ
קָח־נָה אֶת־בְּרַכְתְּ עֲבָדָה
אֲשֶׁר הַבָּאָה בֵּיתָה
תִּשְׁמַח תִּמְרִי אֶת־לֵבָה ;

scrib.

GEORGIUS HENRICUS Schmann.

FINIS.

Zd 198

ULB Halle

3


002 040 255



Sb

UD 17

mit



EPITH
N

Viri Nobilissimi, L

SAMUELIS

CAR

Poëseos in Acade

fesforis P

Virgine Le

ANNA

Nobilissimi, An

JOHANNIS EH

Serenissimi Potentissimi

Splendidissimi, Professo

berrimi, Senioris ib

Alumnorum

FII

VVittebergæ d. 3. M

EX ACA

FAUTO

Literis Jo



26

CI

ro-

NI,

liarii

ele-

IV.

